DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PERIPNEUMONIA VERA ET NOTHA,

QUAE

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

FRIDERICI GUILIELMI PESTEL,

J. U. D. ET JURIS PUBLICI AC PRIVATI PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite & legitime conſequendis,

Eruditorum Examini ſubjicit

HENRICUS DE WINT,

AMERICANUS.

Ad diem VI. *Decembris* MDCCLXXVII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD JACOBUM MURRAY, 1777.

18

Firma valent per ſe, nullumque Machaoma quærunt,

Ad medicam dubius confugit æger opem.

OVIDIUS.

JOHANNI DE WINT,

ARMIGERO,

FRATRI.

AMICO,

ET

VIRO

PERQUAM RESPECTANDO;

JOHANNI VARDILL, A. M.

P. R. T.

Has ſtudiorum primitias
ſacras eſſe voluit,

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PERIPNEUMONIA VERA ET NOTHA.

CAPUT PRIMUM.

De morbi Definitione, differentiis & ſede.

§. I.

Nos in contemplanda hominum hiſce in terris conditione verſantes mala multiplicia, quibus obnoxii ſumus lugere decet; nam quamquam in prima vitæ noſtræ periodo liberi utcunque eſſe queamus, tamen proprius ad maturitatem accedentibus non licet nobis expe-

ctare felicem a morbis immunitatem, quocirca perpulchre cecinit Virgilius,

„ Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
„ Prima fugit; ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus,
„ Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

§. I I.

Inter morbos maxime familiares & pariter periculoſos eminet Peripneumonia, quæ nullis gentibus per hunc terræ Globum ſparſis parcit, ſed paſſim omnis generis, omnium ordinum, omnis ætatis homines aggredi ſolet, & graviſſime afficit, in vitæ diſcrimen ducit. De hoc igitur morbo pro virium mearum tenuitate agere conſtitui, cum ex lege academica mihi honores & jura medici ambienti, ſpecimen aliquod conſcribendum ſit.

§. I I I.

Ordo in tractando themate, præcipue practico ne-

neceſſarius poſtulat, ut definitio ante ipſius morbi hiſtoriam & deſcriptionem ponatur. Hunc ordinem itaque obſervabimus præcipue hoc in capite, etiamſi fateor plenam morbi ideam formari non poſſe, niſi poſt accuratam & diſtinctam hiſtoriam, quam quantum in nobis erit poſtea dabimus, differentias ſimul ac ſedem mali expoſituri.

§. IV.

Peripneumonia congruit cum voce græca περιπνευμονίη, quæ morbum circa pulmonem notat, & nominatim inflammationem hujus viſceris, ut mox (*a*) plenius dicam. Adeſſe vero noſcitur quotiescunque homines febre acuta, reſpiratione difficili & laborioſa, dolore pectoris gravitivo, obtuſo, tuſſi incommoda, ſputis ſanguine plus minus infectis; pulſu inter initia morbi duro, celerique; in progreſſu in mollem, inæqualem, & reduplicatem vertente laborant.

§. V.

(*a*) §. V.

§. V.

Apud veteres medicos hunc morbum pro inflammatione (*b*) pulmonum habitum fuiſſe ex obſervationibus illorum conſtat. Sic Hippocrates in Tom. II. Sect. 3. Peripneumoniam his verbis definivit, „ *Si mulierem fœtum in utero habentem* „ *Peripneumonia*, *i. e. pulmonis inflammatio corripiat.*" Aretæus quoque illam ſic optime deſcripſit in Lib. II. Cap. I. pag. 10. de cauſ. morb. acutor. „ *Hæc eſt ægritudo*, *quam peripneumoniam vocamus*, *inflammationis pulmonis cum febre acuta*;" ſimilia etiam de noſtro morbo Paulus Ægineta, Alexander Trallianus & cæteri judicarunt.

§. VI.

Recentiores peripneumoniam in ſpecies duas diviſerunt, diſtinctione veteribus ignota. Unam vocant

(*b*) §. IV.

eant inflammatoriam, ſeu veram, quæ quidem ſola inter veteres (*c*) fuit cognita, alteram vero notham dicunt, quam primus omnium Hippocrates ille Anglicanus Cl. Sydenham obſervavit & pro more graphice pinxit.

§. VII.

Præter has genuinas peripneumoniæ ſpecies, alii adhuc morbi hoc nomine donati ſunt, velut Peripneumoniam *putridam* nonnulli memorarunt, quæ pro cauſa ſaburram putridam habere videtur; alii *bilioſam* deſcripſerunt; alii *ardentem*, ut *Brumfelſus* & *Foreſtius*; alii *arthriticam*, ut *Mortonus*. Et ſic poſſenr adhuc plures conſtitui ſpecies, ſi ex cauſarum antecedentium diverſitate liceret nomina deſumere, ſed hoc facile confuſionem parit, & a meo inſtituto alienum eſt, ideoque miſſis cæteris primo inflammatoriam, deinde notham contemplari aggredior, & deſcribere.

§. VIII.

(*c*) §. V.

§. VIII.

Peripneumonia vera ſeu inflammatoria dicitur (*d*), quæ vel in arteriis pulmonicis, vel in arteria Ruiſchiana ſedem habet, & ipſarum facit obſtructionem: quamquam operæ pretium non ſit, diſtinctionem ex duplici arteriarum ordine petitam obſervare, quoniam ad medendum, debellandumque hoc malum non multum valet; methodus enim morbo medendi, rationem in utroque caſu eamdem habet. Nam ſi prima obſtructio in ramorum arteriæ *Ruiſchianæ* anguſtiis facta ſit, cito ob vicinitatem, & inoſculationes cum ramis arteriarum pulmonicarum minimis, in his etiam obſtructiones naſci poſſunt; quocirca Cl. Quarin in ſuo libello de morb. inflammat. pag. 97. his verbis recte utitur, *Vix operæ pretium eſt in differentiam hanc inquirere, cum cura eadem ſit, & inflammata una arteria malum brevi alteram ob innumeros anaſto-* mo-

(*d*) §. VI.

moſes petat. Multi autem auctores Peripneumoniam, quoad ſedem ſuam, cum pleuritide & aliis inflammationibus pectoris confuderunt, velut cum paraphrenitide, pericarditide &c. Certiſſime tamen ab his omnibus noſter morbus, ut in ſequentibus patebit, vere differt, & dignoſci per ſigna pathognomica genium ejus exprimentia poteſt. Priusquam vero illuc progrediamur, breviter vaſa pulmonum eorumque cum vaſis totius corporis nexum conſideremus.

§. IX.

Cor ſcilicet duas in partes ſeu cavitates diviſum eſſe conſtat; quarum una ad pulmonem, nempe dextra, altera nempe ſiniſtra ad totum corpus ſanguinem, vi ſibi inſita propellit. Ex cordis baſi canales nonnulli oriuntur, qui pariter duorum generum ſunt, & inter ſe multum differunt. Horum illi, qui ſunt membranacei, elaſtici, albeſcentes, conoidei, nomine arteriarum veniunt, & ſua elaſticitate motum ſanguinis plurimum adjuvant;

quam-

quamvis enim magna, & pene incredibilis in corde vis ac robur inſunt, tamen Cor ſolum reſiſtentiam ſolidorum & alia obſtacula, quæ ipſius motioni magno numero aſſidue opponuntur, non facile ſuperare potuiſſet, niſi arteriarum auxilio frueretur. Nunc hi canales per totum corporis habitum diſperguntur, & in progreſſu nomina diverſa, prout per partes diverſas transeunt ferre ſolent; ſed hæc ex Phyſiologicis nota, nos non debent morari.

§. X.

Ubi vero arteriæ deſinunt, venarum initia ſunt, quæ ab arteriis majore ſua pelluciditate maxime differunt, & ſimul eo, quod valvulis ſicut in aliis corporis partibus, in pulmone non inſtruantur. Sic ergo per anaſtomoſin, qua arteriæ utriusque, & venarum communicatio fit, circulatio ſanguinis perficitur in pulmonibus. Præter hæc vaſa nos quoque vidimus per ſuperficiem pulmonum ſparſa vaſa lymphatica, quæ materiem limpidam ad partes

tes motrices lubricandas requiſitam, quando ſuperabundat, abſorbent; nam ſi hæc lympha colligi in Cavis C. H. permittitur, mala diriſſima oriuntur; in Thorace nempe *hydrops Pectoris*, in Abdomine, *Aſcites* &c. Obſervamus nunc in corde pulſum, quo ſanguis propellitur per totum corporis habitum, perinde ac per ſubſtantiam pulmonum eodem tempore, ut obſervavit jam Clar. van Swieten in Comm. §. 826. *Omnis liquor totius corporis, quo tempore, diſtributus per omnes partes, ſemel circuitum abſolvit per cunctas, eo tempore, totus ſemel tranſire debet per ſolos pulmones.*

§. XI.

Invenimus inſuper in hoc organo vaſa aërea, quæ ramificationes aſperiæ arteriæ audiunt, & ſolo hoc in organo reperiuntur. Hæc reſpirationi inſerviunt, ſubcartilaginea, & membranacea ſunt. Per hos ergo tracheæ ramulos aër reſpirationi dicatus in cellulam minutam pulmonis ingreditur, & inflat,

ut hoc pacto facilius circulatio humorum hujusce organi actione peragi poſſint, nec minus reſpirationis vices, anhelitus, excreatio, fletus, nexus, riſus, ſuſpirium, tuſſis &c. Cætera ad pulmonem ſpectantia ad ſcopum noſtrum minus pertineant, omitto, de quibus conſuli poteſt libellus aureus Cl. Albini de natura hominis;

Nam dulcius ex ipſo fonte bibuntur æquæ.

§. XII.

Peripneumonia variis ſignis (*e*) a *paraphreniti-de*, *pleuritide* &c. differt; & dividitur primum quidem ratione materiæ peccantis, ætatis, temperiei &c., unde alia vera, alia notha dicitur; 2°. ratione loci affecti; nam hæc ægritudo ſemper in parenchymate hæret, quapropter Cl. De Sauvages, *inflammationem parenchymatoſam* appellavit; 3°. ratione cauſæ, unde vel (*a*) idiopathica dicitur, cum

(*e*) §. VIII.

cum cauſa in vaſis ipſius pulmonis hæret, ſive fit materies phlogiſtica, ſive pituitoſa, ſeu alia quæcunque materia peccans, & obſtructionem faciens, unde ſtagnatio, corruptio, acritas, irritatio, tandemque inflammatio, morbum noſtrum vere conſtituens producuntur; (*b*) vel *ſympathetica*, quando aliæ partes primario affectæ in conſenſum pulmones trahunt. Etenim variæ morbificæ res, velut arthritica, rheumatica, varioloſa, aliæ, interdum pulmones occupant, certe graviter efficiunt & ad inflammationem usque irritant; viciſſimque peripneumonia vera æque ac notha quacunque de cauſa fiat, fere omnes partes corporis per conſenſum male afficit; (*c*) Interdum *epidemica* dici meretur, dum plurimi ſimul hocce morbo afficiuntur, a cauſa præcipue in aëre hærente; (*d*) Huic denique *ſporadica* opponitur, quæ nullo non tempore, ex ſingularibus cauſis omnis generis homines affligit, nec multos ſimul ſed unum duntaxat, alterumve afficit.

CAPUT SECUNDUM.

De Cauſis & Effectibus.

§. XIII.

Ordo jam requirit ut aliquid de *Cauſis*, *effectibus*que tam inflammatoriæ quam nothæ proferamus; Quocirca ut propoſitam finem facilius attingamus, ſequentem methodum lubet obſervare. Primo pauca de cauſa proxima dicamus; dein ad remotas tranſibimus, quæ ad corpus prædiſpoſitum applicatæ efficiunt, ut preſens exiſtat morbus; huc vero ſponte patet, vel internas eſſe, & corpori inhærentes, vel externas, & corpori a foris applicatas.

§. XIV.

Proxima cauſa multis ab authoribus ultimo demum loco conſideratur, utpote ex tota hiſtoria mor-

morbi tandem determinata, tanquam *Corollarium*; ſed ab hac ratione paulisper diviare nobis liceat; & priusquam remotas indagemus; de cauſa proxima quædam prælibare. Hæc igitur eſt obſtructio quocunque tempore, & quacunque demum via in minimorum vaſculorum pulmonis anguſtiis nata, qua circulatio ſanguinis debita impeditur, & attritus magnopere augetur dum ſanguis a tergo ad illam tollendam fortiter pellitur, urgetque, quo molimine, inflammatio, calor, febris acuta, tuſſis & cætera producuntur. Atque hoc pacto, ſi æger ſanguine bono abundat, inflammatoria, ſin vero Cacochymicus fuerit aut temperiei frigidulæ, notha peripneumonia naſcitur. (*f*)

§. XV.

Antecedentes vero cauſæ (*g*) docentur in *Pathologia* duplicis generis eſſe, ſcil. occaſionalis & prædiſponens. Et hæ ipſæ, quæ medicis prædiſponen-

(*f*) §. XII. (*g*) §. XIII.

nentes eſſe dicuntur, exiſtunt vel in firmis N. C. partibus, vel in humoribus, vel in utrisque eodem tempore.

§. XVI.

Humores N. C. (*h*) quatenus jam conſiderati ſunt, duplici modo anſam noſtro morbo dare poſſunt, nempe *Quantitate* & *Qualitate*.

§. XVII.

Quantitate (*i*); ſi humores juſtam & idoneam copiam excedunt, unde plethora producitur; ſed plethora per ſe innocua haberi debet, quoniam plethorici (ut quotidie videmus) diutius cæteris ſani vivunt. Eadem vero homines gravibus morbis obnoxios facit, ſi quæ cauſa aliena motum ſanguinis fortius concitarint; ad quod multæ res occaſionem (*k*) præbere poſſunt: nam ſi v. g. plethoricus ſubito magnam vini ſpiritui quantitatem ingurgitave-

(*h*) §. XV. (*i*) §. XVI. (*k*) §. XV.

verit, (ut quandoque inter commeſſationes accidit) *vis impetum faciens* ſtatim enormiter excitatur & hominem in discrimen magnum conjicit, interdum functiones fere omnes corporis lædens velut in apoplexia hinc producta, alias tantummodo unum organum afficiens, ut in peripneumonia quandoque ſic inducta.

§. XVIII.

Qualitate (*l*); multum ſane diæta cum in ſanis tum in ægrotantibus valet; nam quoad ſanos conſtat recta diæta ſanitatem diutiſſime conſervari; quoad ægrotantes non minus certum eſt apto regimine morbos ſæviſſimis valde mitigari ac minui. Nam cum chylus ex alimento, ſanguis ex chylo potiſſimum naſcatur, neceſſe eſt ut alimentum bonum & ſanum ſit. Ab uſu nimia enim ſalſamentorum carnium fumo induratorum; piſcium quarundem, præcipue anguillarum & ſimilium, morbi multi & ſæpe

(*l*) §. XVI.

ſæpe diriſſimi inducuntur; id quod jam obſervavit Hipp. in *lib. de intern. affect.*, ubi inquit, *Inflammationem in pulmone maxime fieri a vinolentia, & piſcium capitonum & anguillarum ingluvie.*

§. XIX.

Firma quoque N. C. (*m*) ad hos morbos producendos conferre poſſunt variis modis; primo *regiditate*, quæ non ſat liberam ſanguinis circulationem, aliorumque fluidorum motus permittit: 2°. *Capicitate*, quia, quando irritabilitas in nervis, qui vaſa circumcingunt, & illorum motioni inſerviunt, nimia adeſt, tunc hæc vaſa facile & ſæpe mutantur quoad ſuam capacitatem, & modo coarctantur, diminuunturque; modo laxantur & dilatantur, & varias mutationes ſubeunt.

§. XX.

Cauſæ vero occaſionales (*n*) ſunt, quæ in vaſis noſtri

(*m*) §. XV. (*n*) §. XV.

noſtri corporis ſtagnationem aliquam producere poſſunt; quæ quidem etiam multiplices ſunt, nam procul dubio multæ res in vita communi frequenter occurrunt, quæ potiſſimum in pulmones agunt, & transmeationem ſanguinis liberam in hoc viſcere turbant. Fit enim aliquando, ut humores præ inflammatoria tenacitate, aut ob capacitatem imminutam, aut ob regiditatem (*s*) per vaſa meare nequeant; & hoc quidem contingit, etſi humores ſani & boni ſunt, & obſtructionem ita faciunt, quæ motum circulatorium impedit, unde varii effectus producuntur. Frequentius tamen permeatio cohibetur vitio ſolidarum, ut vidimus, partium, ſi canales nimis anguſtantur &c. (*t*) Et omnium frequentiſſime occurrunt duæ cauſæ (*u*), & ſimul agunt, quod dum fit, neceſſe eſt humorum liberam motionem gravius turbari & impediri. Sed alienum eſt noſtro inſtituto, has cauſas prolixius & ſubtilius excutere, ex generali pathologia facile repetendas.

§. XXI.

(*s*) §. XIX. (*t*) §. XIX. (*u*) §. XVII.

§. XXI.

Aër vero inter cauſas, non omittendus eſt, in quo quippe degunt, & ſine quo vivere nequeunt (*r*), cujus proinde qualitates ad vitam ſuſtentandam neceſſariæ, quoties aliquo modo mutantur, in homines neceſſario agunt. Et certe ſæpiſſime parvis qualitatum aëris ſenſibilium mutationibus homines, etiam ſanos, ſed potiſſimum aſthmaticos miſerreme videmus affligi. Adeoque mirum non eſt, easdem ad noſtri morbi vel productionem, vel terrorem multum facere, ſed de hac re paulo poſt (*s*) videbimus. Nunc de nonnullis hominum differentiis commemorandum eſt, ob quas certo alicui malo magis vel minus obnoxii ſunt. Quocirca fatendum eſt multas eſſe obſcuritates, præſertim ſi pulmonum affectiones ſpectamus. Igitur recte ait Baglivius, in *Animad. in Pract. nov. pag.* 252., *minimum quoddam, quoddam,*

(*r*) §. XI. (*s*) §. XXIV.

dam, inquam, minimum, unde morbi ortum accipiunt integre percipi, neque intelligentia comprehendi poteſt, eoque minus redigi in poteſtatem anatomicæ artis; atque ſi alicubi, certe in exploranda cauſa morborum primo-prima, & proxima virgilium illud apprime quadrat.

„ Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.
„ Atque metus omnes, & inexorabile fatum
„ Subjicit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Sed revertamur ad rem propoſitam. Ergo omnis quidem ætas, uterque ſexus ſine dubio omnibus medicis in *Praxi* verſatis conſentientibus Peripneumoniæ obnoxii debent haberi, ſed præcipue tamen homines, qui gibbum, vel coarctationem Thoracis quamdam habent; deinde robuſtiores, ſanguinei temperamenti; porro juvenes in flore ætatis; laborioſi; viri magis quam fæminæ; ſeniores magis quam juniores & pueri, obſtructionibus pulmonum patent; ſic & hi, qui flatulentia, hopochondriacis

& ſimilibus vitiis laborant, qui quidem affectuum horum longiore duratione ad noſtrum morbum plus minus diſponuntur.

§. XXII.

Notha vero Peripneumonia ſenibus, ſaltem his, qui ætatis florem prætergreſſi ſunt; porro otioſis, cacochymicis, pituitoſis, denique iis, qui liquoribus ſpirituoſis abutuntur familiariter contingit; & inſuper, ut obſervaverunt authores, frequentius in viris ſenioribus, quam in feminis, puerisque occurrit, quorum quippe ſolida ſunt laxiora, quapropter rarius obſtructionibus hujusmodi corripiuntur. Audi verba Sydenhami, in hoc morbo ducis; *Paulo habitiores ac craſſos ea præ cæteris aggreditur; virilem ætatem vel aſſequutos, vel etiam (quod ſæpius accidit) prætergreſſos, liquoribus ſpirituoſis (vini maxime ſpiritui) plus æquo addictos.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Medici tum veteres cum moderni ſemper ad ſex res non naturales magnam attentionem adhibuerunt, & jure quidem optimo, quia abuſu non naturalium ſæpe numero morbos ſæviſſimos produci ſolent. Hæ res pathologicis ſic conſideratæ ſunt; primo aër; 2°. cibus & potus; 3°. motus & quies; 4°. animi affectus; 5°. excreta & retenta; 6°. ſomnus & vigilia. Maxime vero ad noſtrum inſtitutum una ex his rebus, aër nempe, conſiderari debet; nam ut pulchre obſervavit Cl. Quarin in libello ſuo de morb. inflamm. *nulla in nobis eſt pars, quæ ab atmoſphæræ mutationibus frequentius, validiusque afficiatur ac pulmones, cum continuo aërem trahere cogamur ad vitam ſuſtentandam.*

§. XXIV.

Phyſici obſervaverunt & ab experimentis rite factis invenerunt, quod mutationes ſenſibilium aëris

qualitatum in corpore humano alterationes notabiles faciunt, & præcipue ab hominibus ſenſilioribus percipiantur. Qualitates vero ſenſibiles ſunt primo *ſiccitas* & *humiditas*, 2°. *Caliditas* & *Frigiditas*; 3°. *gravitas* & *levitas*; quæcunque harum in aëre prædominantur. Hæc corpus eo majore vi afficit, quo ipſa eſt mutatio major. Si enim nimia in aëre humiditas adfuerit, ſolidæ fibræ madefactione hac continua ſenſim, ſenſimque relaxabuntur; & fluida N. C. minorem in canalibus ſuis reſiſtentiam invenientia, facilius per errorem loci in vaſa aliena coguntur, vi a tergo aſſidue premente, urgenteque, & hoc pacto obſtructiones omnis generis facile naſci poſſunt, & præcipue ſi eodem tempore nimia caliditas adfuerit, ut quandoque per æſtates pluvioſas contingit. Imprimis vero ſub initium Hyëmis tunc tales obſtructiones graſſantur; nam venerandus Hipp. *ita* monuit; *ſi autem æſtas pluvioſa ſit, & auſtro multum perfletur, ſimilisque ſequatur autumnus, hyemen morboſam reddit.* Quando vero

ro nimia in aëre ſiccitas eſt, jam nimia perſpirabilis materiæ copia ex corpore exhalabit, quo facto, humores partibus liquidiſſimis privabuntur, ſic craſſiores, ſpiſſiores & tenaciores reddentur, ita ut facilius in Capillarium canalium anguſtiis hæreant, & hac ratione obſtructiones, inflammationes, aliaque mala dira producant. Solida eodem tempore hac aëris intemperie pati poſſunt. Etenim naturali, idoneaque humiditate nimis privantur, minusque humectantur, ideoque illornm mobilitas imminuitur; nimis regida fiunt, & hoc modo *vis impetum faciens* debilior erit ad aperienda vaſa oppilata, & ad reſolvendas obſtructiones; & forſitan quandoque obſtructionibus ipſa anſam dat. — Gravitas ſi adſit juſto major maxime iis officit, qui aſthmatici nominantur, quia aliunde jam defectum pulmonum habent, facilius validiusque his qualitatibus, gravitate nimirum, & levitate nimia, affliguntur; ſic & cæteris aëris qualitatibus, ut obſervavit Cl. Baglivius *pag.* 104. *Acceſſiones aſthmatis frequentiores*

ſunt

ſunt cælo frigido, & humido, præcipue inter crapulandum.

§. XXV.

Cælum frigidum procul omni dubio majorem ad inflammationes pulmonum proclivitatem, & frequentiorem occaſionem plerumque dat, quam alii aëris proprietates. Nam poros cutis frigore conſtringi videmus, quapropter tranſpiratio inſenſilis facile ſupprimitur, hoc pacto, id quod excerni debet, accumulatur in vaſis, & neceſſario inde colluvies morbifica in corpore naſcitur, & ſi diutius manſerit, anſam morbis diris & funeſtis ſæpenumero adferre poteſt; ſicut autem ſenſim ſenſimque a cœlo frigido multi morbi inducuntur, ſic & noſtrum fieri poſſe, ob tranſpirationem inſenſibilem impeditam, evidens eſt; ſed alio quoque modo, per ſubitaneum refrigerium corpus morboſum reddi poteſt, ita ut homines morte ſubita quandoque afficiantur. Cum vero Pulmones aërem proxime ad-

admittere (*t*), ut vita ſuſtentetur, debeant, mirum non eſt quod a frigore lædantur, eoque magis, quo frigidius erit cælum. Olim doctiſſimi medici crediderunt, obſtructiones vaſorum pulmonicorum, quas frigida parit tempeſtas produci per coagulationem humorum a frigore inductam; ſed planius hodie conſtat frigus habere poteſtatem ſedativam, & potius in ſolida agendo mala hæc producere: utique ſi quando aër frigidiſſimus corpori applicatus aliquam partem lædit, hujus partis humores congulati non ſemper obſervantur, ſed quamquam fluidiſſimi manſerint, nihilominus obſtructio oriatur ob debilitatem inductam. Eadem frigoris vis ſedativa cernitur in iis caſibus, ubi congelata penitus eſt pars corporis, v. g. Extremitas aliqua. Nam hoc pacto *functio naturalis*, *vitalis &c.* validiſſime debilitantur, & derepente ſphacelo pars ipſa corripitur. Ad hæc coagulatio fieri nequit, quin ſanguinis particulæ prius ſeparentur, quod accidere in

(*t*) §. XXIII.

in corporis vaſis non poteſt, ut Cl. Hewſon ſubtiliter & optime per experimenta oſtendit, cujus ad libellum aureum eos, qui plura de hac re cupiunt amando, quoniam a ſcopo noſtro nolim longius diſcedere. —

§. XXVI.

Si vero Bruma præter modum acris eſt; atque glaciem multam, & magnam nivis copiam fundit, tunc maxime inflammationes tam pleuræ quam ſubſtantiæ pulmonum hominibus familiariter contingunt & graviores ſint, ut olim obſervavit *Hippocrates*, dum inquit, tom. I. pag. 80. *Hyeme vero pleuritides & peripneumoniæ fiunt.* Idemque Cl. van Swieten his verbis monuit. pag. 714. tom. II. *Intenſum vero aëris frigus omnium maxime huic morbo (peripneumoniæ) producendo favet. — Omnium maxime ſi ab excercitiis vel foci calore æſtuantes homines aërem gelidiſſimum imprudenter hauriant.* Tunc enim vaſa pulmonum minima æque

ac

ac magna prius tota ipſius ſubſtantia poris quaſi apertis madent, & per largam evaporationem aquoſas ſanguinis partes liberaliter tranſmittunt, itaque omnes hæ partes rite madefiunt; ſanguis particulis non neceſſariis & plane ſupervacuis liberatur, adeoque depuratur. Verum contraria omnia eveniunt ab aëris frigidiſſimi inſpiratione, ſi hæc ſubito accidit; atque hoc pacto veſiculæ tenerrimæ pulmonum nimis efficiantur, vaſa præſertim capillaria oppilantur, & ſic confeſtim difficilis anhelitus, dolor & angor pectoris, febricula acutiuſcula, & cætera contingunt, quæ noſtro in morbo obſervari ſolent. Ubi tamen monendum eſt, quæ de Anni tempore diximus ad malum vere inflammatorium potiſſimum pertinere. Namque multum aliter res ſe habet in peripneumonia notha, quippe quæ fere ſemper in hyemis exitu, inter veris initia graſſatur; & ſolummodo in homines incidit (*v*) temperamenti pituitoſi, frigidi; in otioſos &c.; ut immortalis, nec ſatis

(*v*) §. XXII.

ſatis venerandus Sydenhamus obſervavit, cujus iterum verba hoc loco adhibere mihi liceat, in Cap. 10. pag. 256. *Cum enim in hujusmodi hominibus ſanguis humoribus pituitoſis brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque idem ab ineunte vere in novum motum cieatur, tuſſis hanc nacta occaſionem, mox ſubingreditur, qua miniſtra dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt, quo tempore ſi forte æger, nullo vivens conſilio, liquores ejusmodi ſpirituoſos adhuc liberalius hauriat, craſſeſcente jam fere, quæ tuſſim excitabat, materia, & ab ea præcluduntur pulmonum aditus, & febris omnem ſanguinis maſſam depaſcetur.*

§. XXVII.

Quandoque conſtitutio aëris epidemica huic malo favet, quæ quidem a qualitatibus atmoſphæræ manifeſtis cognoſci nequit, ſed labes eſt in aëre morbifica, contagioſa, hominum ſenſibus vulgariter non percipienda. Interim decet nos & oportet an-

antecedentes fere omnes aëris mutationes conſiderare: Inde enim conſtitutiones ipſius diverſæ epidemicæ clarius, meliusque agnoſci poſſunt. Hoc autem conſilium a Sydenhamo datum & obſervatum eſt in omnibus, quibus interſint epidemiis. Inprimis in Cap. V. de tuſſ. epid. cum pleurit. & peripn. ſuperven., ubi diſcripſit conſtitutionem An. 1675. ſic loquitur: *Cum tempeſtas placida & tepens, immo vero æſtatis ſimillima, præter ſolitum ad poſtremos octobris dies perſeveraret, eam vero mox exciperet alia multum diverſa, frigida ſcil. atque humida ſubito ingruens, tuſſes ubique numerotiores graſſabantur, quam alio quovis, quod memini, tempore, nemini fere parcentes cujuscunque is fuerit ſive ætatis, ſive temperamenti, integras vero ſimul familias, pervadentes.* His verbis conſtitutionem hujuſce anni diſcribibit, & paulo poſt inquit, *interea quemadmodum tuſſis conſtitutioni opitulabatur in febre producenda, ita etiam febris occaſionem ex tuſſi natam arripiens, jam pleuram,*

ac pulmones haud aliter invadebat, ac caput invaſerat vel ſeptimana illa quæ harum tuſſium exortum fuerat prægreſſa; quæ tam improviſa ſymptomatum mutatio nonnullis, qui minus diligenter adverterant animum, anſam præbuit, febrem hanc pro PLEURITIDE ESSENTIALI, *aut* ESSENTIALI PERIPNEUMONIA *habendi, licet eadem omnino illa maneret, atque per integram hanc conſtitutionem.* — Ergo mutationibus & inæqualitatibus atmosphæræ bene conſideratis cognoſcere nobis plenius datur, quales ſint epidemii morbi, qui tam funeſte aliquando inter homines ſæviunt, hoc quoque pacto melius ducimur ad illos ſi adfuerint debellandos, ſaltem mitigandos.

§. XXVIII.

Omnibus his præmiſſis (*w*), & bene conſideratis clariſſime conſtat, peripneumoniam inflammatoriam potiſſimum produci hyemis tempore poſſe; & no-

(*w*) §. XXV. XXVI. XXVII.

notham eo tempore, quod medium eſt eſt inter hyemem & ver.

§. XXIX.

Præter has quas memoravi cauſſas, exhalationes quoque ex corporibus ſive animalibus, ſive vegetantibus putrefactis in cenſum venire concedimus, quod ſæpenumero anſam huic noſtro morbo dare poſſunt, quarum tamen conſideratio, cum nos in hoc Themate nimium occuparet & diſtraheret, non minute & prolixe inſtitui poteſt; nec ſane opus eſt, quoniam quæ hanc ſpectant, in Tom. II. Clar. van Swieten accurata ſcripta ſunt. Poſſim nunc porro deſcendere ad alia, quæ malum noſtrum producere ſolent, veluti Exercitium pulmonis violentum, cantus, clamor, equitatio fortis in vento adverſo &c., ſed nolo Lectorem morari, ideoque brevibus defungar.

§. XXX.

Excercitio pulmonis violento cujuscunque gene-

ris

ris noſtrum malum gigni poteſt; obſervatur hoc magno ſub curſu, & diu continuato, quo homines æque atque alia animalia in hæmoptoem ſubinde conjiciuntur ob motum ſanguinis nimis auctum, & pulſum vehementer incitatum ex quo brevi poſt tuſſis, dolorque pectoris, & valde laborioſa reſpiratio exiſtunt; unde, niſi mors præveniat, peripneumonia naſci haud raro ſolet. Quandoque etiam ex aliquo motu pulmonis forti & violento tenerrimæ veſiculæ ipſius quamdam diſtractionem ultra normam patiuntur, quo pacto haud aliter ac fibræ animales, ſi nimis diſtendantur, elaſticitatem ſuam vel ex toto, vel ſaltem ex parte & ad tempus perdunt; unde ſtagnatio in capillaribus facile contingit, quam ſequitur obſtructio magis, magisque increſcens, donec anhelitu & difficultate ſpirandi, & coarctatione pectoris affligatur æger. Hoc igitur modo, hacque ratione ex cantu violento, ex clamore inſolito, ex ſuſpiriis ſæpiſſime repetitis, ut fit in longa triſtitia, & aliis etiam pathematibus animi,

nimi, porro ex vita ſtudioſiſſima peripneumonia tam inflammatoria quam notha, neque minus alia Thoracis mala oriri facillime poſſunt.

§. XXXI.

Neque omitti oportet equitationem fortem in vento adverſo, cujus magna eſt vis in turbanda pulmonum functione. Quem ad finem lubet hoc loco tranſcribere verba, quæ illuſtris van Swieten in Comment. Tom. II. pag. 718. habet: *Demonſtraverunt Phyſici corpora per fluidum mota reſiſtentiam pati, atque aucta velocitatis corporis moti hanc reſiſtentiam augeri; partim quia cohæſio particularum fluidi ſuperari debet, partim etiam quia partibus fluidi motus conciliatur. Si ergo quis perpici equo per aërem vehatur, cum actioni æqualis ſit reactio, tanto magis aër premet pulmonem, quo rapidius per aërem movetur homo. Verum ſi jam ſimul aëris adverſo vento moti directio ſuperari debet, patet ſatis, augeri quam plurimum illam vim,*

qua aër pulmones premet. Si autem frigidus talis ventus fuerit, eo magis conſtringuntur vaſa pulmonica, & tanto magis periculum erit obſtructionis, & ſequentis inflammationis. Multum igitur ad ſanitatem conſervandam mediocritas facit, quam in omnibus, quæ vel intus vel extrinſecus afficere corpus noſtrum ſolent, obſervari decet; nam ſi transgreſſa ſit, morbi ſæpe naſcuntur, unde merito tenendum hoc quaſi aureum præceptum,

Omne nimium vertitur in vitium, ideoque
Eſt modus in rebus, ſunt certo denique fines,
Quos ultra, citraque, nequit conſiſtere rectum.

§. XXXII.

Jam in antecedentibus obiter obſervavimus, & h. l. repetere debemus peripneumoniam inflammatoriam maxime conſtitutionibus validioribus, ſanguineis, bene & laute viventibus, laborioſis contingere; quamquam omni anni & cæli tempeſtate in-

incidat, attamen hyemali tempore acceſſiones frequentiores, fortiores, diuturnioresque habere, & eodem tempore homines periculoſius ex ea laborare. Incipit ſemper cum difficultate reſpirationis, quæ major eſt, ſi bini pulmonum lobi ſimul inflammati ſint; accedit dolor gravativus pectoris, obtuſiorque; quandoque primis diebus morbi ſputa ſunt ſanguinolenta; & ſtatim febris plerumque acuta, ſitis plus minus moleſtat; reſpiratio calida eſt, & ſi fomites putridi in corporis fluidis hæreant, fœtida; pulſus plenus, durus, celer initio, dehinc mollis, parvus, undelatorius, & quandoque reduplicatus; urina pauca, rubra, turbidaque; faciei color rubriuſculus; levis quoque ophthalmia obſervatur; & ſanguis detractus ſub ſtatu quieto cruſtam inflammatoriam oſtendit veluti in pleuriticis. Notha vero noſtra peripneumonia hunc in modum homines corripit a magno Sydenhamo dudum grappice deſcriptum: *Primo febris inſultu nunc incaleſcit æger, nunc friget: Vertiginoſus eſt, de capitis*

dolore queritur lancenante, quoties tuſſis importunius fatigat. Potulenta omnia vomitu rejicit, nunc ſine tuſſi, nunc illa vexatus. Urina turbida cernitur, & rubens intenſe. Sanguis detractus pleuriticorum ſanguinem refert. Anhelius ſæpenumero ſpiritum crebro ac celeriter ducit. Si moneatur ut tuſſim provocet, haud aliter dolet Caput, ac ſi mox in partes diſſiliret (qua loquendi formula ægri ut plurimum utuntur) dolet & Thorax omnis, vel ſaltem pulmonum coarctatis adſtantium auribus percipitur, quoties tuſſit æger, pulmone non ſe ſatis dilatante, præcluſis adeo ob intumeſcentia, ut videtur, meatibus vitalibus &c.

CAPUT TERTIUM.

De Diagnoſi & Prognoſi.

§. XXXIII.

Viſis omnibus, quæ ad noſtri morbi cauſas & effectus pertinent, & breviter propoſitis, nunc ad ipſius *Diagnoſin* & *Prognoſin* accedimus: prior discrepantiam noſtri ab aliis Thoracis effectibus docet, poſterior vero ad indicationem curativam nos ducere debet.

§. XXXIV.

Inflammatio parenchymatoſa, ut cum Cl. De Sauvages in Claſſ. III. Ord. III. des inflammations parenchymateuſes loquar, differt multum ab inflammationibus membranaceis, quoniam prior tantummodo dolores obtuſos, non acutos creat & magis ad ſuppurationem prona eſt; poſterior vero

doloribus acutiſſimis, diriſſimisque ciendis apta proxime ad Eryſipelas vergit, unde ſigna diagnoſtica alia ſunt, & ſuo utraque modo hominem afficit, adeoque medici eſt, varias ſpecies diſtincte acurateque conſiderare; tametſi fateor non ſemper poſſibile eſſe vera discrimina inter inflammatorios morbos ponere, quia nos ita Deus opt. max. voluit conformatos eſſe, ut *univerſalis quædam detur* (loquor cum illuſtri Gaubio in path. pag. 52.) *inter partes humani automatis conſpiratio, qua uti in ſanitate mutuam ſibi opem præſtant, atque aliæ alias naturæ legibus adaptant, ita in ſtatu morboſo una patiuntur, ſuasque affectiones invicem communicant. Unde in praxi raro veri occurrunt morbi, quorum ſimpliſſima idea nihil mixturæ habeat* &c. Nihilominus Pathologi eſt, ſedulo operam dare ut quoad poteſt ſigna diagnoſtica bene intelligat, ſine quibus finem optatem, ſcil. ægri ſanationem contingere nequit.

§. XXXV.

§. XXXV.

Peripneumonia igitur ab *pleuritide*, *carditide*, *mediaſtinitide*, *paraphrinitide*, &c. — quoad ſymptomata enumerata diſcrepat (*x*); dein quoad locum affectum (*y*), & denique quoad inflammationis naturam (*z*), quæ in his membranes, in illa parenchyma occupat. Sunt etiam ſigna quædam diagnoſtica, de quibus adhuc breviter dicendum eſt.

§. XXXVI.

Pleuritici plerumque per acuto dolore pectoris punctorio, nunc unum, nunc alterum latus, præcipue dextrum occupante, infeſtantur; ſimulque febre valde acuta; reſpiratione difficillima, & breviſſimas habente vices unde magnum ſanguinis motui impedimentum exoritur; & quandoque inſignis anxietas fit. Porro dolorem in inſpiratione auctum ſentiunt. Pulſus eſt durus & intenſus; ſitis ob ſpiritus

(*x*) §. XXXII. (*y*) §. VIII. (*z*) §. XXXIV.

ritus calorem inextinguibilis; ſanguis detractus cruſtam lardo ſimilem exhibet. Urina pauca & valde rubra eſt. Jam qui carditide laborant, maxime de ingenti ad cordis ſedem anxietate queruntur; deliquiis animi frequentioribus ſunt obnoxii; pulſus interruptus, celer, inæqualis eſt. Quæ quidem ſigna limites inter morbos propinquos ſatis plane monſtrant. Sic quoque inflammatio mediaſtini ab aliis analogis diſtinguitur quod dolore duntaxat ſubſterno, & reſpiratione aliquanto minus lædata laboret æger. Paraphrenitis autem a congeneribus malis diſcrepat eo quod v. g. violentum dolorem immo faciat pectore inter reſpirandam auctam, febrem valde acutam, diliria, ſitim magnam, ſingultus, riſum ſardonium, & alias calamitates graviſſimas inducat.

§. XXXVII.

Atque hæ obſervationes (a) ad ſcopum noſtrum ſuffi-

(a) §. XXXII.

ſufficere videntur, ſiquidem morbo noſtro diſcrimen a congeneribus oſtendunt, declarantque ubi præſens ſit, adeoque diagnoſin perficiunt.

§. XXXVIII.

Terminatur vero uti aliæ inflammationes variis modis; primo reſolutione; quando diatheſis phlogiſtica in corpore hærens, naturæ vel artis beneficio tollitur; quod brevi tempore fieri debet, quoniam pulmonis parenchyma tenerrimum illatam vim diu pati nequit. Igitur nata in pulmonibus obſtructio, ſi ſuperabilis eſt intra paucos dies reſolvitur & æger cum ſanitate in gratiam redit.

§. XXXIX.

In ſuppurationem vero tranſit, quando magna, violentaque inflammatio pulmonis eſt, neque reſolutione (*b*) benigna brevi tollitur, nec meteſtaſis, nec tumores phlegmonoides in extrema corporis par-

(*b*) §. XXXVIII.

parte aliqua oriuntur, quæ levamen ſymptomatum adferunt.

§. X L.

In gangrenam rarius tranſit, quia ſedem in parenchymate (*c*), quod huic malo minus obnoxium, quam membranæ ſunt.

§. X L I.

In ſcirrum frequentius quam in gangrænam terminatur, ut tumor poſt peripneumoniam indolens remaneat, anguſtiam pectoris, nec non ſenſum ponderis, & aſſiduam ſpirandi difficultatem afficiens.

§. X L I I.

Reſolutio (*d*) optime fit per ſputa peripneumonicum valde levantia, ſic enim materies phlogiſtica, vi qua hactenus non bene cognita in cavis aëriferis coacta eſt, adeoque per os commodius, quam per

(*c*) §. XXXIV. (*d*) §. XXXVIII.

per alias vias, intervenienti tuſſi, excernitur; dum ergo ſputa recte prodeant, ſymptomata confeſtim leviuntur; dolor pectoris & febris temperantur, pulſus ad naturalem proprius redit. Quæ quidem modo mature contingant, ægrum aliis malis liberant, & ad ſanitatem optatem reducunt.

§. XLIII.

Reſolutio per urinas, ſudores vel alvum, non tam benigna, nec tam facilis, nec tam certa quam prior; ut perpulchre obſervavit Cl. Quarin; tamen interdum occurrit. Sed ne nimis deflectamus de noſtro brevitatis propoſito, & ut liceat de his referre ad aureum hujus viri libellum, ubi ea etiam, quæ metaſtaſin morbificæ materiæ ſpectant, & omnia huc pertinentia legi poſſunt. Nos in univerſum hoc loco obſervamus, quod natura morborum medicatrix & duc medicorum, nempe vis illa ſemper actuoſa, quæ morboſas diatheſes ſolvere, & aliena expellere per vias in corpore patentes,

cum urinis, ſudoribus debet, a nobis maxime inſtituenda & juranda ſit; nam Hippocrat. ſuper hac re jam animadvertit, Sect. I. Aphor. XXV. *Si qualia opportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt: contraria vero, difficulter.*

§. XLIV.

Prognoſin quod ſpectat, bona ſigna ſunt, ſi ſputa libere excernantur, & ſufficiente copia, ſputis ita prodeuntibus, dolor pectoris gravativus gradatim minuitur, æger melius in univerſum ſe habet; ſi pulſus emendatur; ſi calor æqualis & moderatus per totum corpus defunditur; denique ſi omnes ſcil. excretiones paulatim redintegrantur. Sic enim apparet morbum judicari. E contrario, ſi non multum materiæ per ſputa eliminatur, & æger ægrius, moleſtiusque ſe habet; ſi dolor magis magisque premit, ut in lecto æger decumbere vix poſſit, & aſſidue mutat ſitum, & erecto capite & thorace eſſe cupit; porro ſi oculi caligi-

noſi

noſi ſunt, ſi convulſiones accedunt, ſi pulſus celerior ſimul & inæqualis, atque inordinatis evadit, omnino mala ſunt omina. Si quando peripneumonia homini ex *Hydrope pectoris* jam laboranti ſupervenerit tantum non ſemper lethalis eſt.

§. XLV.

Sputum, quod ab initio flavum, mucilaginoſum & ſtriis ſanguineis diſtinctum eſt, ſed brevi in album & pingue mutatur, reſpirationem æque ac pulſum emendans, procul omni dubio optimum, & ſalutiferum haberi debet; ſed tamen inſuper requeritur, ut illud facile, ſine magna in excernendo vi adhibita, prodeat; ne per tuſſim nimis violentam acrius irritetur inflammatus pulmo. Atque etiam hoc notari oportet, copiam ſputorum materiæ morbificæ reſpondere debere, quia non conducit, ſi tuſſis ſicca ſit & tantum pauca educat, ut jam obſervavit Hipp. Illud vero prorſus inutile, neque ullam ægro opem adferens exiſtimari debet, quod

album, viſcoſum & exilibus globulis eſt; quippe quod parum, aut nihil materiæ morbificæ videtur continere, ſed tantum a muco bronchia lubricante inſpiſſato, & veroſimiliter in globulos, intra veſiculos pulmonum compacto, oriri. Ad hæc ſputa, quæ meraca, ſpumoſa, pigra, cruenta, æruginoſa, amurcoſa, carnoſaque apparent, peſſima ſunt; quia declarant ſubſtantiam pulmonis diſtructam in parte eſſe, & inflammationis ſpeciem perniciofam. Interdum tamen etiam ſi ſputum fuerit lividum, & carnoſum, morbus feliciter judicari poteſt. Sputa quoque mala ſunt in croco quaſi tincta appareant, cum ſanguinem putridine diſſolvi & ſolummodo liquidam & ſeroſam partem excerni deſignent.

§. XLVI.

Quandoque peripneumonia occurrit, quo tempore putrida in corpore labes eſt. Quod ſi hæc diatheſis cum peripneumonia occurrat, deprehenditur æger pulſu minus duro, minus forti, minus-

que

que celeri; attamen calore mordaci & ſicco, lingua ſordida; proſtrato penitus appetitu, nauſeabundiis cum vomendi conatu, & ſenſu ponderis in regione ventriculi; ſputa etiam magis flava ſunt, & tenuiora, quam in ſimplice inflammatoria notantur.

§. XLVII.

Nunc vero concludimus hoc caput verbis Clar. Sydenhami, quibus notham peripneumoniam æſtimare, & ab aliis affectionibus pectoris diſcernere docet, pag. 259. *Notha*, ait, *peripneumonia*, *licet ad aſthma ſiccum aliquantulum accedat*, *tum quoad ſpirandi difficultatem*, *tum etiam alia quædam ſymptomata*, *ab illis tamen ſatis dignoſcitur*, *cum in iſta manifeſta febris*, *atque inflammationis ſigna ſe prodant*, *quæ in hoc nusquam comparent*; *quamlibet in hac ſpecie minora ſint longe*, *& obſcuriora illis*, *quibus inſignitur vera peripneumonia.*

C A-

CAPUT QUARTUM.

De Curatione.

§. XLVIII.

Omnis cura inflammationis, tam phlegmonoïdeæ quam cryſepelatoſæ a copioſa venæ ſectione eſt incipienda; ſi quidem hac ſubita depletione efficax & univerſalis revulſio a parte affecta fieri poteſt; neque hoc ſolum juvat, ſed etiam reactionem vaſorum minimorum, quæ ob nimiam oſtiolorum & parietum contractionem pene perdita eſt, reſtituere valet; ut ſic materiæ in ipſis hærentes pellendæ, & cum humoribus circulantibus miſcendæ, & hoc pacto obſtructionem removendæ paria reddantur. Quapropter & in noſtro morbo (peripneumonia) medici curam a larga phlebotomia incipere debet; & pro neceſſitate quoque repetere, usque dum ſpi-

ſpirandi difficultas imminuatur, vel omnino tollatur.

§. XLIX.

Si nunc æger eſt temperamento ſanguineo, robuſtus (*e*), macilentus, & muſculoſus facilius feret largam venæ ſectionem, quam contrario non facile ferunt craſſi & obeſi. Quapropter cautiſſime phlebotomia in peripneumonicis uti debemus, ne incurabile malum inducatur; & ſane, ut obſervavit Cl. Quarin pag. 104. Cap. V. *Evitanda eſt, quæ ad animi deliquium usque ducit, ob ſuffocationis periculum, cum ii, qui in id ex quaque cauſa lapſi, anguantur, ſuſperia ducant, & de oppreſſione pectoris conquerantur, dum reviviſcunt.*

§. L.

Ergo venæ ſectio cum (*f*) aliquando nociva esſe queat, caute & circumſpecte imperanda eſt, ne ma-

(*e*) §. XXI. (*f*) §. XLIX.

malum hoc pacto augeatur, ad cautelas neceſſarias (g) ducere nos poſſunt, ſi bene fuerint reputata. Nominatim Pthiſicis, peripneumonia laborantibus, etſi phlebotomiæ neceſſitas eſſe videatur, non ſine magno diſcrimine inſtituitur; ut multi & doctiſſimi medici jam obſervaverunt. Quod vero dies peculiares ad venam ſecandam ſpectat, hos certo, juſteque aſſignari non poſſe putamus; nam omni tempore morbi vigentis recte fit, (quum res ipſa poſtulaverit) tametſi inter initia maxime poſſit.

§. L I.

In peripneumonia notha, quæ fere illos tantum, qui temperamentum frigidum habent, ſolet affligere (h), ſanguinis detractio moderatius inſtituenda eſt, ne corporis vires jam debilitatæ, magis magisque deterantur. Et ipſa experientia docet, tales ægros non facile magnam venæ ſectionem nedum fre-

(g) §. XII. (h(§. XXII.

frequenter repetitam ferre. In his ergo majus auxilium ex repurgationibus licet; imprimisque expectorantia leviora conveniunt, ut oxymel ſcilliticum pectoralibus infuſionibus junctum; porro pillulæ ex Gum. Ammon. Sapon. Hiſp. Rad. Scil. Extr. Theb. compoſitæ. Aliquando quoque multum Kermes minerale, & Sulphur. Aurat. antimon. proſunt, cum decoctis pectoralibus ex aqua hordeata & gum. arabic. compoſita. Nitrum vero in peripneumonia hac notha potius nocivum ob irritationem nimiam quam inducit exiſtimari debet. Quod porro attinet diætam, hæc in omni peripneumonia cibum & potum requirit tenuiorem, & facile digerendum, adeoque abſtinentiam ab aromaticis, calefacientibus, acribus cibis & ſpirituoſis liquoribus: Verum tamen ſub ſpecie notha ægros modica vini boni copia uti interdum expedit, ne vires nimis ſtricto regimine penitus labefactentur. In conſtipata alvo Medicus prudenter & circumſpecte agere debet, ne fortioribus pharmacis utatur. Nam cathartica non

niſi leniora conveniunt, velut manna, ſennæ folia, ſal catharticum & ſimilia. His autem, ſi venter non ſolvatur, aut ſi hæc ipſa nociva habeantur tunc clysmata in locum ipſorum adminiſtranda ſunt.

§. LII.

Ut (*i*) obſervatum ſupra fuit quod in peripneumonia vera, reſolutio morbi per ſputa omnium maxime optabilis eſt; ergo hæc medicamenta præcipue adhibenda ſunt, quæ leniter & facile expectorationem promovent; ſi copia ſputorum, quantitati materiæ morbificæ non reſpondeat, & tuſſis nimium ſicca manet (*k*), tunc æger per phlebotomiam in morbi initio conſuletur, quæ repetenda ſi res poſtulaverit utpote expectorationem promovens, quam porro expectorantia proprie dicta cum opiatis combinata ſuſtinent; quæ quoque contra irritationem ob mucum aſperæ arteriæ abraſum faciunt.

(*i*) §. XLIII. (*k*) §. XLV.

ciunt. Inſuper acridinem materiæ peccantis obtundere & mitigare tam eadam opiata quam alia lubricantia poſſunt, velut mucilago cydoniorum, gum. arabic. Emulſio ex ſal. volatil. Ammoniac. cum aqua pura & aqua alexeteria ſpirituoſa, & oleo amygdalino recens expreſſo, parata; cui emulſioni interdum aliquid nitri & lactis ammoniaci adjicitur utiliter ut exſecratio promoveatur. Atque ſimul cavendum, ne purgantibus intempeſtive datis ſputa ſupprimantur, ideoque fere præſtat ad alvum, ſi opus ſit, ſolvendam ſola clysmata, in hac morbi periodo adhibere.

§. LIII.

Quod ſi putrida labes in corpore peripneumonia laborante prevaleat, tunc ægri vix ferunt phlebotomiam, ſed opus maxime habent illis, quæ vires refocillant, & tuentur, inter quæ eminent cortex peruvianus, & acida mineralia. Horum uſu naturæ vires confirmantur, ut idoniæ ſint, ad collu-

viem putridam domandam, corrigendamque. Et his quoque in caſibus vapor aquæ fervidæ cum aceti aliqua copia per os cum aëre in pulmones tractus multum prodeſſe ſolet. Atqne hæc de curatione ſufficiant. Nunc liceat mihi unica monitione concludere hanc differtatiunculam: oportere nos perquam circumſpectos & prudentes eſſe in morbis pectoris curandis, quippe qui facile medicum decipiant; id quod perpulchre Cl Baglivius animadvertit, dicens, *O quantum difficile curare morbos pulmonum! O quanto difficilius eosdem cognoſcere; & de iis certum dare præſagium? fallunt, vel peritiſſimos, ac ipſos medicinæ principes.*

T A N T U M.